

nio ineundo, unde non obligant, etsi jurata sint. Si tamen sponsa voti ignara decepta sit, ita ut grave inde damnum pateretur, v. g. propter impregnationem, tenetur sponsus illud compensare etiam per matrimonium, servata tamen continentia, quantum potest fieri sine injuria conjugis, ut dictum est n. 1159. Juxta *Laym.* l. 5. t. 10. c. 2. n. 5. in tali casu voto obligatus debet petere dispensationem a voto; cum enim per votum Deo prius jam acquisitum sit jus, vovens propria auctoritate illud non potest tollere, statum voto contrarium ineundo; ideoque requiritur, ut legitimus Superior tanquam Dei vicarius causa prius cognita obligationem remittat per dispensationem. Haec sententia a *Laymann* vocatur communis, et in praxi recepta: hinc praeferenda est opinioni aliorum affirmantium cum *Lessio*, quod utiliter petatur dispensatio, sed non necessario. Vide *P. Kugler* de spons. p. 3. q. 3. n. 64. Dixi supra: *Sponsalia absoluta sive absolute inita*: valerent enim conditionata, si utraque pars conscientia voti vel alterius impedimenti promitteret matrimonium ineundum, *si obtineatur dispensatio*. Item valerent, si quis ligatus voto castitatis tantum ad tempus, v. gr. ad biennium, promitteret matrimonium: sic enim inirentur sponsalia exequenda tempore cessantis voti, sicut ab impubere tempore pubertatis.

1164. V. Ordines minores non dissolvunt utrinque sponsalia, quia non constituant statum incompossibilem cum nuptiis. Si tamen sponsus invita vel inscia sponsa suscipiat ordines minores, solvuntur sponsalia ex parte sponsae, tum quia sponsus hoc modo censemur remittere sponsae jus suum in illam, tum quia est notabilis mutatio sponsi, qui per ordines etiam minores specialiter jam dedicatur cultui divino, et officiis Ecclesiasticis. *Sporer* de sponsal. num. 256. cum *Gobat* contra *Sanch.*

CASUS III.

Pelagia, carnaliter cognita a Petro, despousatur Philippo: ante nuptias anxia quaerit a Confessario, an Philippo sponso suo teneatur fateri, se esse defloratam. Interim Philippus subobscuram accipit notitiam de vitio; ideoque recusat celebrare nuptias, ad quas tamen, cum delictum non posset probare, compellitur a judice.

1165. Q. I. An teneatur Pelagia manifestare Petro vitium hoc occultum? R. Nisi gravida sit, licebit tacere et dissimulare defectum, quantum potest sine mendacio: imo (ut addit *La Croix* l. 6. p. 3. n. 182.) potest post contracta sponsalia cogere sponsum ad matrimonium, tum quia *per se* hoc non officaret matrimonio, tum quia licet sponsus posset ob hujusmodi defectum, si eum sciret, etiam in poenam fractae fidei resilire, eique non servare fidem; sponsa tamen talem poenam non tenetur in se et per se ipsam exequi. Denique nimis durum esset obligare ad se diffamandum, vel abstinentiam a matrimonio. *Sanch.*, *Burghab.* cent. 2. cas. 20. Ibid. tamen addit, quod nubendo peccet graviter, si probabiliter putet, quod sponsus defectum virginitatis sit deprehensurus, et valde aegre durante matrimonio latus. Hinc dixi, *nisi gravida sit*: tunc enim vel deberet declinare matrimonium, vel vitium manifestare, quia alioqui sponsus post matrimonium deberet alere prolem alienam, et proles postea legitime nasciturae damnum inde paterentur. Vide *La Croix* l. c. n. 183.

1166. Q. II. An universim contrahens licite occultet, aut taceat defectum, quem si sciret alter, sponsalia probabiliter non contraheret? R. Si defectus multum noceret alteri parti, vel matrimonium redderet difficultius, vel plane impediret cohabitationem, qualis defectus est epilepsia, oris grauolentia incurabilis, ut ait *Gobat* de spons. n. 304., item morbus gallicus, lepra, gravis infamia etc., neutquam liceret, quia per occultationem ejus-

modi defectus alter graviter deciperetur: ideo tali defectu laborans debet vel a contractu sponsalitio abstinere, aut resilire, sive defectus ante, sive post inita sponsalia emerserit. Aliud est de levibus defectibus, aut ordinarie adhaerentibus, ut si foemina sit rixosa, impatiens, vel sponsus melancholicus etc. Vide *P. Sporer* de sponsal. n. 283. et seq.

1167. Q. III. An post sponsalia inita pars una notabiliter ditior vel nobilis facta possit ab altera jam impari resilire licite? R. Affirmativam quidem multi retinent cum *Illung*, *Amico*, *Hurtado* et aliis: negativam autem tanquam probabiliorem plures neoterici tenent cum *Sanch.* l. 1. d. 59., *Palao*, *König*, *Coninck*, et aliis. *Ratio* est, quia si pars una deterior non sit facta, iniquum est, ut ab altera parte privetur jure suo. Nec ullus erit, qui ei potestatem negabit jus suum prosequendi apud judicem: atqui per hoc, quod una pars evaserit ditior, altera non est redditia deterior: ergo.

1168. Q. IV. An notabilis deformitas sponsae superveniens sit respectu sponsi causa sufficiens dissolvendi sponsalia? R. Probabilis *affirmative*; quia valde notabilis deformitas ab initio existens impedivisset sponsalia, ita ut sponsus forte horruisset tam deformem personam vel a longe intueri: ergo etiam superveniens eorum executionem juste impediet. *Excipe* casum, in quo propter solas divitias seposito omni intuitu personae jam antea contraxisset. Ita *Kugler* l. c. n. 101., cum *Illung*, *Vallensi*, *König* et aliis contra *Covarr.*, *Matienza*, *Ludov.*, *Lopez* et alios.

1169. Q. V. An si uterque sponsus et sponsa cum aliis forniciantur, solus sponsus, an etiam sponsa juste possit resilire? R. Videtur utriusque competere jus resiliendi, tum quia fornicatio est tacita, et virtualis renunciatio sponsalium, tum quia utriusque datur sufficiens causa diffendi de altero, quae fundabit vel maxime separationem animorum contra finem matrimonii. Ita *Palau* de spons. d. 1. p. 25. n. 10., *Illung*, *Tanner*, primo contra *Sanch.*, *Laym.* l. c. n. 12., *Sporer*, qui soli sponso in tali casu adjudicant jus resiliendi, propterea quod foedior et detestabilior sit incontinentia foeminae, quam viri. At respectu finis matrimonii uterque pars esse videtur. Secundo contra *Paludanum* et alios, qui contendunt, neutrum resilire posse, eo quod paria delicta pari compensatione tollantur, juxta c. *intelleximus*, de adult. Sed cum ibi decisio sit pro statu matrimonii, hinc pro eius insolubilitate solum facta est.

1170. Q. VI. An resilire liceat sponso propter violentam sponsae oppressionem? R. *Affirm.* tum quia sponsa inde censemur multo vilior, tum quia can. *Raptor*, caus. 27. q. 2. permittitur sponso recedere a sponsa violente rapta: ergo a potiori, si fuerit violente oppressa. *Laym.* l. c. n. 11. ubi idem non concedit de sponsa, quae in somno inscia patitur fornicationem. *Palau*, *Oberascher* et alii contra *Tabienam*, *Armillam* et alios. Idem dicendum de violenta oppressione ante sponsalia, si postea manifestetur, nisi pars innocens illam scivisset ante contractum, et tamen contraxisset.

SECTIO II. *De Matrimonio.*

ARTICULUS I. De essentia, usu, obligationibus,
et indissolubilitate matrimonii.

§. I. *Praenotanda de Matrimonio.*

1171. I. Nomen matrimonii a *Matre* derivatur, propterea quod sit quasi *munium* sive officium matris. Dicitur etiam *connubium* a velo, quo sponsae accepturae nuptialem benedictionem ex modestia obducebantur. Praeterea vocatur *conjugium* ab eodem jugo, cui uterque sponsus submit-

titur, juxta illud 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier enim sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter et vir etc.*

1172. II. Matrimonium triplici modo considerari potest: 1. Ut est *contractus naturalis in officium naturae ad propagandum et conservandum genus humanum*. 2. Ut est *contractus civilis ad affinitates, amicitias et foedera inter cives Reipub. sancienda*. 3. Ut est sacramentum N. L. ad gratiam conjugibus communicandam, ut proles pie ac christiane educentur. Quatenus est *contractus naturalis ac civilis*, definitur: *Coniunctio maritalis viri ac foeminae legitime contrahentium individuam vitae societatem retinens*. Sic per modum contractus indissolubilis matrimonium jam olim Deus in paradyso instituit, Gen. 2. ut docet c. un. de vot. et voti redempt. in 6., et Trid. sess. 24. in doctrina de Sacram. matrim. primario quidem in officium naturae ad propagandum et conservandum genus humanum; post peccatum vero succedente concupiscentia cessit in concupiscentiae remedium; in lege denique gratiae eundem contractum Christus elevavit ad rationem sacramenti. Hinc ratio sacramenti ita innititur contractui, ut quando contractus ex quocumque essentiali defectu invalidus est, nec sacramentum existat. Sic definitur vel potius describitur a P. Canisio: *Sacramentum N. L., quo vir et mulier legitime contrahentes, individuam vitae societatem ineunt, gratiaque divina donantur, tum ut soboles honeste et christiane suscipiantur ac educetur, tum ut foedae libidinis et incontinentiae peccatum evitetur*: vel convenienter definitioni mox allatae: *Est coniunctio maritalis viri ac foeminae legitime contrahentium, individuam vitae societatem retinens, divinitus instituta in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiae ad uniendos simul conjugum animos, et prolem pie ac christiane educandam*. Ita Tournely in praelect. theol. de 7. Eccles. Sacram. tom. 2. de Sacram. matrim. q. 1. Canon. 41. XXVII. q. 1. brevissime ait: *Nuptiarum bonum semper est quidem bonum, sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solatium*.

1173. III. Porro matrimonium *in fieri* sive *active sumptum* consistit in actuali conjunctione per mutuum consensum, et contractum, quo intitur matrimonium. *Passive* vero sumptum sive *in facto esse*, est ipsum vinculum matrimoniale, quod ex tali contractu proyenit; consensus enim mutuus est potius causa efficiens, item est transitorius, matrimonium autem stabile est ac permanens: ergo rectius dicitur constitui in vinculo. Neque hoc vinculum, seu nexus perpetuus, quo conjuges inter se uniuntur, dici debet effectus subsequens matrimonium; expresse enim ait s. Thom. in suppl. q. 44. a. 1. in R. ad 1. *Coniunctio illa vinculum est, quo conjuges ligantur formaliter, non effective*. Pariter essentia matrimonii non consistit in usu, seu carnali conjunctione. Prob. 1. ex Math. 1. v. 20. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam; in quem locum s. Aug. 1. 1. de nupt. et concup. c. 1. ait: Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognitus: nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio*. Prob. 2. Eo ipso perficitur contractus matrimonii, quo conjuges mutuo sibi tradunt potestatem in sua corpora, etsi postmodum ea potestate nunquam usuri sint, quia usus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractus: sed est quid consequens illam: nec necesse est, ut qui habet jus et dominium in rem, ea actu utatur, imo actuali usui libere renuntiare potest. Ergo. *Confirm. ex reg. 30. ff. de R. I. Nuptias non concubitus, sed consensus facit: et c. omnis res. 4. XXVII. q. 2. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas*.

Neque dicas: S. Paulus ad Ephes. 5. satis clare innuit, carnalem conjunctionem pertinere ad essentiam matrimonii per illa verba: erunt duo in carne una. R. S. Apostolus non designat per haec verba actum, seu usum matrimonii, sed mutuam translationem dominii in corpus conjugis utriusque, ad quod dominum sufficit jus radicale, et in actu primo, licet per accidens aliunde impediatur. Adde, quod textus graecus l. c. habeat *eis σάρκα μιαν, in carnem unam*.

1174. IV. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, et consummatum. *Legitimum* est, quod solo legitimo consensu inter habiles personas contractum est juxta leges naturales et civiles. Talia fuere matrimonia in lege naturae et scripta, et adhuc sunt inter infideles, v. g. Turcas, Judeos, et alios non baptizatos; haec tamen non habent rationem Sacramenti. *Ratum* est, quod inter baptizatos juxta leges Ecclesiasticas est contractum, cui tamen necdum accessit copula carnalis. Hoc includit quidem legitimum, sed insuper habet ratificationem Ecclesiae, et rationem Sacramenti. Sic Innoc. III. in c. quanto, de divortiis ait: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum. Consummatum dicitur, quod accedente copula carnali completum est inter personas, quae legitimate contrixerunt*.

1175. V. De fide est, quod matrimonium baptizatorum sit verum N. L. Sacramentum. Sic Trid. sess. 24. can. 1. de Sacr. matrim. definit: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprio unum ex septem legis Evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit*; et S. Paulus ad Ephes. 5. v. 32. ait de matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Ibid. v. 25. Apostolus satis aperte significat, matrimonio annexam esse gratiae spiritualis promissionem, dum hortatur conjuges ad mutuam dilectionem non tantum carnalem, sed ad exemplum Christi: *Viri, ait, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, l. c. v. 25. Est enim unio conjugalis signum unionis Christi cum Ecclesia: *Sacramentum hoc magnum est . . . in Christo et in Ecclesia. Confirmatur ex S. Aug. L. de bono conjugali c. 18.: In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam foecunditas uteri*. Idem patet ex universalis Ecclesiae traditione, de qua Trid. sess. 24. ab initio disserte ait: *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubii per Christum gratia praestet; merito inter novae legis Sacraenta anumerandum sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt. Ex dictis igitur manifestum est, nullam deesse matrimonio conditionem ad verum Sacramentum: primo enim est signum sensibile per mutuum contrahentium consensum externis signis expressum. Secundo est a Christo institutum. Tertio vim habet ad conferendam gratiam, eam scil. sacramentalem, vi cuius animi contrahentium conjungantur, proles pie ac christiane educentur, et foedae libidinis peccatum evitetur. Juxta illud S. Aug. L. 9. de Genes. ad lit. c. 7.: Hoc nuptiarum bonum verum tripartitum est: fides, proles, sacramentum: in fide attenditur, ut praeter vinculum conjugale cum altera vel cum altero non concubatur; in prole, ut amanter suscipiantur, benigne nutriatur, religiose educetur; in sacramento, ut conjugium non separetur. Confert autem per se hoc Sacramentum gratiam secundam, quia est Sacramentum vivorum*.

1176. VI. Matrimonii ut Sacramenti *materia remota, et circa quam* sunt corpora contrahentium nulla lege impedita (juxta aliquos consensus internus); *materia proxima, et ex qua est consensus mutuus contrahentium*, prout habet rationem traditionis juris saltem radicalis in corpora,

signo aliquo externo sufficenter expressus. *Forma* vero est idem consensus mutuus, prout habet *rationem acceptationis* traditorum corporum, vel saltem juris radicalis in corpora, verbo aut alio signo externo manifestatae. *Ratio* est, quia Sacramentum matrimonii celebratur per modum contractus: ergo sicut in omni contractu res, de qua contrahitur, est materia remota, consensus materia proxima, acceptatio autem rei firmat contractum et quasi formam imponit; ita etiam fieri censendum est in contractu matrimonii. *Minister* hujus Sacramenti juxta communiorum non est Parochus assistens, sed ipsi contrahentes; tum quia hi ponunt materiam et formam, scil. mutuum consensum; tum quia ante *Trid.* valebat matrimonium clandestinum sine assistentia Parochi. Unde verba assistentis Sacerdotis: *Ego vos conjungo etc.* habent hunc sensum: Ego tanquam testis, auctoritate mihi concessa ab Ecclesia, matrimonium vestrum ratum habeo et confirmo. Ita tenent *Sotus*, *Bellarm.*, *Suar.*, *Henrig.*, *Sanch.* l. 2. d. 5. Juxta contrariae sententiae patronos, qui admittunt cum *Melch. Cano*, *De Marca*, *Sylvio*, *Maldonato*, *Tournely* in praelect. Theol. de matrim. q. 3., assistentem Sacerdotem esse ministrum, predicta verba: *Ego vos conjungo etc.* sunt forma Sacramenti matrim. Juxta eosdem ratio Sacramenti separari potest in fidelibus a ratione contractus, quorum sententia hodie post declarationem Ss. D. N. Pii IX. (in alloc. 27. Sept. 1852): „inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum,“ non amplius defendi potest. De his omnibus vide Theol. Schol. Quando a Christo matrimonium elevatum sit ad rationem Sacramenti, dissident DD. Alii dicunt, hoc factum esse *Joannis* 2. dum Christus interfuit nuptiis. Alii vero cum *D. Antonino*, *Victoria*, *Sanchez* l. 2. d. 4. n. 4. affirmant, *Joann.* 2. approbatum esse, institutum autem *Matth.* 19., dum Christus sublatilibello repudii matrimonii inseparabilitatem praecepsit dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus coniunxit, homo non separat.*

§. II. Principia generalia de essentia, indissolubilitate, et obligationibus matrimonii.

1177. *Principium I.* Consensus ad matrimonium essentialiter requiritus primo debet esse *verus et mutuus*: quia matrimonium est serius inter duos contractus ultra citroque obligans. Unde si una pars ficte contrahat, graviter peccat ob deceptionem alterius in re gravi, et matrimonium pro tunc reddit invalidum. Juxta c. *Tua*. 26. de spons. et matrim. tenetur deceptor satisfacere parti deceptae. Vide dicta n. 1102. de ficta promissione sponsalitiae. Item si una pars consentiat, altera suspendat assensum, nullum est matrimonium. Per τὸν *verus et mutuus* intelligitur etiam consensus proprius ipsorum contrahentium; quia hi soli, nulla vero alia potestas humana, habent potestatem suorum corporum ad tradendum eorum dominium in usum conjugalem. *Secundo*, debet esse *consensus de praesenti*, quia per verba, sive promissionem de futuro fiunt tantum sponsalia; c. 31. de sponsal. et matrim. *Tertio*, debet esse perfecte *deliberatus et voluntarius*, quia est contractus de re gravi, gravem utrinque post se trahens obligationem. Unde consensus datus in amentia, somno, plena ebrietate, aut ex metu gravi injuste incusso non sufficit. *Quarto*, debet esse *consensus verbis vel aliis signis externis manifestatus*; quia contractus matrimonialis est Sacramentum, ideoque est signum sensibile; item est contractus inter homines, non Angelos, requirens mutuam traditionem, et acceptationem coram Parochio, et testibus manifestatam: ergo necessario consensus matrimonialis debet exterius manifestari, regulariter quidem *verbis*, ut docet *Florent.*, vel aliis signis consensum mutuum sufficenter exprimentibus, nam surdi et muti

possunt contrahere matrimonium per *consensum mutuum sine verbis*, juxta c. *Tuae fraternitati* 25. de spons. et matrim. ... Quinto, debet esse *consensus inter personas habiles* ad valide et licite contrahendum matrimonium, quales censentur mas et foemina nullo impedimento dirimente vel impediente obstructi, aut per legitimam dispensationem habiles facti. Per se etiam intelligitur, quod consensus durans, non revocatus, et suo modo absolutus requiratur, ut dicetur in resol. casum.

1178. *Princip. II.* Postquam *Trid.* annullavit matrimonia clandestina, duplex solemnitas matrimonii requiritur. *Prima* pertinet ad valorem (ubi *Tridentinum* est receptum) scil. *assistantia Parochi proprii* utriusque, vel saltem unius sponsorum *una cum duobus vel tribus testibus*. *Secunda* requiritur de praecerto, ut trinae praecedant denuntiationes. De utraque solemnitate *Trid.* sess. 24. in Decreto de reform. matrimon. c. 1. *praecipit*, ut *impostorum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis receptum uniuscujusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilis detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut predictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta Synodus relinquat. Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsis Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et millos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. Plura ubi de impedimento clandestinitatis.*

1179. *Princip. III.* Conjuges contrahentes matrimonium legitimum simul contrahunt generatim quadruplicem obligationem: *primo, mutuam mariti et uxoris*, quae consistit in redditione conjugalis debiti (nisi ambo mutuo consensu statuerint abstinere ab usu matrimonii sive copula carnali), item in fide intemerata thori, denique in individua vitae, pacis, et charitatis societate. De gravi obligatione reddendi debiti conjugalis ait *S. Paulus* 1. Cor. 7. v. 3. et seq.: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Eadem gravis obligatio patet ex ratione contractus mutui. *Secundo*, obligationes propriae mariti ad uxorem sunt, eam sustentare, protegere, et ordinato amore prosequi: *Viri diligite uxores vestras* (ad Ephes. 5. v. 25.) *sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret...* Ibid. v. 28. *Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua: qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit.* Nemo enim unquam

carnem suam odio habuit, sed nutrit et foveat eam, sicut et Christus Ecclesiam. Tertio, obligationes propriae uxoris ad maritum sunt, obedientia, reverentia, liberorum et familiae gubernatio competens: *Uxor autem timeat virum suum; ad Ephes. 5. v. 33...* Quarto, obligationes communes marito et uxori respectu prolium sunt: dilectio, educatio corporalis et spiritualis. De quibus obligationibus egimus in P. I. de quarto praec. Decal. Ex his circa obligationem primam patet, tum quod usus conjugalis sit licitus et honestus, modo fiat 1. *debito jure*, h. e. ex valido matrimonii contractu; 2. *debito fine et circumstantiis*; 3. *intra terminos honestatis naturalis*. De singulis in resol. cas.

1180. *Princip. IV.* Matrimonium consummatum inter baptizatos ex voluntate Christi est omnino indissolubile quoad vinculum. Patet ex Matth. 19. v. 6.: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus coniunxit, homo non separat.* Item ex Marci 10., Lucae 18. v. 18., et ex 1. Cor. 7. v. 10: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem non dimittat.* Et Trid. sess. 24. can. 5. definit: *Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjugi, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* Ibid. can. 7.: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjugi vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.*

1181. *Dixi primo*, Matrimonium consummatum etc. quia matrimonium ratum est solubile etiam quoad vinculum tum per professionem religiosam, tum per Pontificis dispensationem. *Primum* probatur ex Trid. quod sess. 24. can. 6. de Sacram. matrim. definit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnum religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Idem patet ex c. verum. 2. de convers. conjug. Quod autem textus Scripturae num. praeced. allegati intelligendi sint de matrimonio consummato quoad vinculi indissolubilitatem, declaratur tum ex ipsis verbis textus, tum ex c. ex publico. 7. de convers. conjug. ubi in fine ita habetur: *Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis, uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum.* Accedit ratio theologica, quod juxta communem catholicorum matrimonium consummatum significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, sive verbi divini cum natura humana, quae conjunctio indissolubilis est; e contra matrimonium ratum significet conjunctionem Christi cum anima per gratiam, quae conjunctio dissolvi potest, et actu dissolvitur per peccatum mortale. *Secundum* probatur ex eo, quia, quod professio religiosa dirimat matrimonium ratum, non habetur ratione voti, ideoque non iure naturali, aut divino dirimit, sed ratione voti solemnis, quae voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa, ut expresse innuit Bonif. VIII. in c. *Quod votum. un. de voto in 6.* Ergo cum Pontifex non quidem auctoritate humana, sed divinitus concessa possit per legem universalem ob professionem in religione approbata dissolvere matrimonium, id pariter poterit per dispensationem, quando id exigat causa valde gravis. *Confirmatur ex eo, quod multi Pontifices jam dispensarint in matrimonio rato, uti Gregor. VII, Eugen., et Pius IV,*

Jul. et Paulus III. et alii. Imo teste Henrig. L. 11. c. 8. n. 11. de matrim. *Gregor. XIII.* una die undecies dispensasse fertur in matrimonio rato: ergo. Vide *Pignatell. t. 1. consult. 148., Clericatum. de Sacr. matrim. decis. 15. n. 13. et seq.*, ubi num. praecedentibus etiam referuntur graves rationes adversariorum.

1182. *Dixi secundo*, Matrimonium consummatum est omnino indissolubile quoad vinculum; potest enim fieri justis et gravibus de causis divortium, sive separatio a thoro et mensa, vel (ut alii loquuntur) a lecto et tecto, manente nihilominus vinculo conjugali, ita ut neutra pars possit ante mortem unius inire aliud matrimonium. *Prob. ex Trid. quod sess. 24. can. 8. de Sacr. matrim.* ita definit: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertum tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Idem patet ex toto tit. 19. de divortiis L. 4. *Decret.* Potest autem divortium fieri *primo pietatis causa*, v. g. quando ambo conjuges sine periculo incontinentiae mutuo consensu a thoro se separant; aut quando cum consensu uxoris maritus sacros ordines suscipit, aut unus de licentia alterius in religione approbata professionem emittit, quo casu altera pars remanens in saeculo castitatem voyere, vel pariter religionem ingredi debet. Sic c. 5. de convers. conjug. expresse habetur: *Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Ibid. c. *cum sis*, 4. *Alexander III.* ita statuit: *Auctoritate Apostolica prohibemus, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem (nisi uterque ad religionem migraverit) transire permittas, scil. ad religionem. Verum si ita uxor senex est, et sterilis, quod sine suspicione possit esse in saeculo, dissimilare poteris, ut, ea in saeculo remanente, et castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem.*

Secundo divortium fieri potest propter delictum unius, unde parti innocentie datur justa causa petendi aut faciendi divortium. Sic divortium perpetuum quoad thorum et mensam petere vel instituere licet conjugi innocentie propter alterius adulterium carnale, consummatum, satis cognitum, et non remissum, licet pars adulterans sit invita et reconciliacionem petat.

Ita communis fundata in jure naturali, quod permittit, ut frangatur fides illi, qui fidem fregit: item in jure divino Matth. 5. et 19. atque in jure Ecclesiastico c. 4. de divortiis, ubi ita habetur: *Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.* Idem confirmatur ex c. 5. ibidem. Nomine adulterii etiam hic intelligitur sodomia et bestialitas, non tamen soli tactus turpes, oscula etc. Tunc autem propria auctoritate licet instituere divortium, quando adulterium est notorium notorietae juris vel facti; si vero non sit notorium, vel non satis certum, divortium petendum est a Judice Ecclesiastico: *Nemini enim licet (auctoritate propria) uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.* c. 9. de spons. et matrim. Addit hic P. Pichler de divort. n. 10., quod *in foro interno*, si innocentie moraliter vel physice certo constet de adulterio compartis, cesset obligatio debiti, licet adulterium coram judge probari nequeat, quia matrimonium non aliter obligat ad thorum, nisi sub conditione, si servetur fides conjugalis. In foro autem externo, si adulterium non sit notorium, nec possit probari in judicio, divortium propria auctoritate instituere prohibet scandalum, et subinde etiam obstat specialis prohibitio judicis praeter c. 4. de divort. mox cit.

1183. *Ad tempus autem* (quamdiu scilicet causa separationis durat)